EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

(19)

# FRANCISCI XAVERII ALEGRE

*Mexicani Veracrucensis*

# HOMERI ILIAS

*Latino carmine expressa.*

EDITIO ROMANA

*Venustior, et emmendatior.*




M. DCC. LXXXVIII

*Apud Salvionem, tipographum Vaticanum*

---

*Superioribus annuentibus.*

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
CAPILLA ALFONSINA BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
MICROFILMADO
marzo 12-82

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Universitaria

PA4024
A3
1788

# MEXICANA CIVITAS.

DUodecimus annus evolvitur, quum Homeri Iliadem à Francisco Xaverio Alegre, versibus latinis expressam, & Bononiæ editam, menda plurima deturpa-



005784

bant. Quantum potui, tantum diligentiæ impendi, ut PATRIÆ decore, ab iisdem vindicata, pristinæque veritati restituta, denùo compareret. Eo sanè consilio, ut Tibi, bonarum Artium cultrici, eamdem devoverem. Adeò enim me turpi, atque inexpiabili culpa aspersurum, existimabam, si heroicum hoc Opus, juris quodammodò Tui, Tibi inscriptum, & dicatum non emisissem. Quod eò Tibi gratius, rebar, futurum, quòd ab Alegre profectum, quòdque à Tui, tuorumque studiosissimo evulgatum.

Joannes à Malo
de Villavicencio.



# LECTORI.

HOmeri Iliadem nostris laudibus extollere insanum esset: in ejusdem commendationem omnis generis Scriptorum testimonia congerere, supervacaneum, atque infinitum: versionis autem nostræ difficultatem, laborem, ac diligentiam commendare, stultum profecto, ac deridiculum. Etenim quum versiones non eadem ex causa, neque eodem sibi proposito fine omnes adornaverint, nec item eodem ex capite earum utilitas æstimari, aut commendari potest. Sunt enim qui sic existiment, versiones illas, quæ verbum verbo exprimunt aliis liberioribus esse præseferendas, nam hæ, quod in Angeli Politiani Latino Herodiano meritò reprehendit Henricus Stephanus, dum Latini sermonis elegantiam, & verborum proprietatem studiosiùs sectantur, a Græco fonte divagantur longiùs, ut quid cui respondeat, non facile discerni queat.

Atque hæc quidem vera esse fateor; quum in eorum gratiam, qui Græcè disce-

re incipiunt, Homeri, aut alterius cujusvis scripta in Latinum, aut vulgarem sermonem vertenda susceperis, quod sibi dumtaxat præstituisse videntur Andreas Divus, & qui ejus versioni castigandæ insudarunt Maxillus, Gifanius, Sebastianus Castellio, Henricus Stephanus, Liberlinus, Berglerus, Salvinius, atque his similes alii, ab quibus in Latinam, Hispanam, Gallicam, Italicam, Anglicam, & Germanicam linguam Homeri opera, & plura alia Græcorum translata sunt.

Ut autem Græcæ linguæ addiscendæ ejusmodi Scriptorum labore nihil utilius, ita Homeri, aut Poetæ cujusvis alterius gravitati, elegantiæ, ac sublimitati cognoscendæ, aut pensandæ nihil fieri potest ineptum, immo contratium magis. Quo fit, ut Liberlini, exempli gratia, quum versionem totam perlegeris, aut te Homerum illum tot omnium gentium præconiis laudatissimum legisse non credas, aut tot retrò sapientes viros insanire arbitreris, qui ineptissimas illas loquutiones, frigidas sententias, & descriptiones insipidas summis laudibus certatim extulerint.

Nec tamen eandem interpretandi methodum omnes Homeri Traductores sequuti sunt. Nam ut antiquissimos illos omittam, Livium Andronicum, Accium Labeonem, de quo Persii Scholiastes Sat. 1. Cnejumque Mathium,



& Ninnium Crassum, quorum meminit Priscianus lib. 9, ut inquam hos omittam, fuere ex recentioribus plures, qui, quum ligata oratione, tum soluta Homeri Iliadem, Odysseamve, aut etiam utramque aliis etiam linguis ediderunt, aut edere tentarunt. Hos inter clarioris nominis habentur Franciscus Petrarcha, Angelus Politianus, Laurentius Valla, & Raphael Volaterranus, Joachimus Camerarius primum, & secundum Iliadis librum latinis versibus extulisse dicitur, cujus etiam Homericorum omnium librorum argumenta exstant apud Politum.

Primum item, secundum, & nonum librum Vincentius Obsopæus, tertium, quartum, quintum, decimum tertium, duodevigesimum, vigesimum, vigesimumsecundum, & vigesimum quartum. Nicolaus Valla, Iliadem universam; atque Odysseam Marinerius quidam Hispanus apud Nicolaum Antonium in Bibliotheca Hispana, quod opus, an exstet, nec scio, nec aliquem, qui id sciret, invenire potui: tandem Joannes Baptista Lawenbergius, cujus ex Odyssea fragmenta nonnulla vidi non contemnendo latino versu, Iliadem, an idem verterit, non satis compertum habeo. Quibus accedit Cunichii, quæ nunc cum laude prodit, Iliadis interpretationem, latino versu. Atque hæ quidem Latinæ Homeri versiones.

Jam vero ex vulgaribus aliis linguis, apud Gallos insignis quædam fœmina Anna Dacieria Homerum soluta oratione satis feliciter expressit. Anglica lingua & carmine idem præstitit Alexander Poppæus; atque idem Germanicis versibus Iliadem Joannes Spiengerius; Italicis, quos solutos vocant, præter citatum Salvinium, alii nonnulli, & ligata Italica oratione nuper Josephus Bossolus. Habetur etiam in pretio apud Hispanos Gundisalvus Pereyra, seu potiùs Perezius, qui Odysseam patrio sermone edidit, ut Syriacam versionem omittam a Theophilo Edesseno elaboratam, & Persicam, cujus meminit Labbæus. Vide, si lubet, aliorum Homeri Interpretum, & Scholiatorum catalogum apud Fabricium in Græca Bibliotheca tom. 1. & Alex. Politi præfationem ad suum Eustathium.

Poetarum igitur Principis mentem, non verba, latinis versibus exprimere conati, Virgilium Maronem, Homeri, inquam, optimum, & pulcherrimum interpretem ducem sequimur, in quo plura ex Homero ferè ad verbum expressa, plurima levi quadam immutatione detorta, innumera, immò totus quotus Maro est, ad Homeri imitationem compositus. Ubi ergo Virgilius, pene ad literam Homerum expressit, nos eadem Virgilii carmina omnino, aut fere nihil immutata



lectori dabimus, nec enim aut ab ullo mortalium elegantiùs efferri potuisse quisquam crediderit, aut vitio, plagiove nobis verti poterit, si ubicumque inventam Homericam supellectilem, ipso jure clamante, vero domino restituamus. Ubi autem Virgilius, Virgilius, inquam, ipse, nonnullas Græci Vatis loquutiones, & loca latinè,

*Desperans tractata nitescere posse, reliquit,*

nos item relinquemus. Habet enim unaquæque lingua lepores quosdam suos, ac dignitatem, decoremque verborum, quæ si in aliam transferre coneris, non nisi turpe quicquam, aut insulsum dixeris.

Quod autem de unaquaque lingua universa, id etiam de propriis uniuscujusque gentis, ac Provinciæ, immo & urbis loquutionibus dicendum est, quamobrem & Livius Patavinitatem, & Virgilius Mantuanitatem redolere dicitur. Idem etiam quod de verbis, de Heroum moribus judicandum est. Quid enim Achillem carnes scindentem, ac distribuentem, aut Nausicaam ad fluvium lavantem reprehendant, qui ejus gentis, eorumque temporum mores satis cognitos, ac perspectos habeant? Perinde quasi non iidem aut Abrahamum hospitibus pedes lavantem, aut Rebeccam adaquantem camelos in Scripturis legerint.

Ad calcem operis nonnullas addere ad-

notationes pollicitus eram, quum tamen Eustachii Thessalonicensis in Homerum Commentaria Latina fecerit Alexander Politus, & Appollonius Sophistes nuper quoque in Gallia Latinus prodierit, supersedendum duxi, eaque solum adnotare constitui, quæ Latinæ Versionis locis quibusdam aut explicandis, aut vindicandis necessaria visa sunt: quandoque etiam in ea quæ Homeri sunt propria non illibenter excurret calamus.

# FRANCISCI XAVERII ALEGRII HOMERICÆ ILIADIS

LATINIS VERSIBUS EXPRESSÆ.

## *LIBER PRIMUS.*

ARGUMENTUM.

*Chryses sacerdos Apollinis filiam suam liberaturus ad Græcorum stationem venit. Re non obtenta, immo ab Agamemnone contumeliosè dimissus, Apollinem in Græcos precatur. Peste ingruente Achilles concionem vocat, in qua quum Calchas veram caussam patefaceret, iratus Agamemnon in Achillem invehitur, eique aufert Briseidem. Hinc Achillis in Græcos indignatio, quo rogante Thetis ab Jove auxilium pro Trojanis in Græcos precatur. Juno re comperta cum Jove rixatur, donec eos Vulcanus in concordiam adducit.*

Ram, Diva trucem Pelidæ concine Achilleï,
Quæ mala tot miseris, infandaque funera Graiis
Adtulit, ingenteisque animas tot tradidit Orco,
Mortaleisque virum exuvias, artusque cruentos,
5 Alitibusque (nefas) prædam, canibusque reliquit.
Consilium Jovis interea, atque arcana voluntas
Perficiebatur, donec discordia demens
Atridemque inter, sævumque arderet Achillem.
Tu memora quæ fata Deum, quæ numina claros